v

TERMINUS IURIS
Ex Actorum Virtute & Honoribus
Perillustris Clarissimi & Admodum Reverendi Domini
M. ANDREÆ LIPIEWICZ,
[illegible]
INCIDENS.
Et abyss ad Exercitia [illegible]
Perillustris Clarissimi & Admodum Reverendi Domini
M. JOANNE PALASZOWSKI,
[illegible]
In frequentissimo Magnatum Hominum praesentia
[illegible]
Coram Actis publicis [illegible]
[illegible]
M. ADALBERTUM JOACHIMUM POLTANSKI,
[illegible]
in [illegible] Honoris Doctoralis [illegible]
DEDUCTUS.
[illegible]

TERMINUS JURIS

Ex Actoratu Virtutis & Eruditionis.

Perillustris Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini,

M. ANDREÆ LIPIEWICZ,

Utriusq; Juris Licentiati, Collegæ Juridici, Ecclesiarum Collegiatarum S. MICHAELIS in Arce Cracoviensi DECANI, SS. OO. Cracoviæ CANCELLARII, Parochialis in Igołomia CURATI, Festorum SALVATORIS & B. M. Virginis in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi Ordinarii CONCIONATORIS, Judiciorum Illmi Consistorii Generalis Cracoviensis ASSESSORIS, GEOMETRÆ Jurati.

legitimè

INCIDENS.

Et dum in Ecclesia Collegiata SS. OO. Cracoviæ.

à

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

M. JOANNE PAŁASZOWSKI,

Utriusq; Juris DOCTORE & PROFESSORE Collega Juridico, Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ ARCHI-DIACONO, Parochialium Vieliciensis PRÆPOSITO, in Nakło CURATO, Contubernii Regio-Jagelloniani PROVISORE, protunc Facultatis Juridicæ DECANO.

In frequentissima Magnorum Hospitum præsentia.

ritu solenni renuntiaretur Utriusq; Juris DOCTOR.

Coram Actis publicis immortalis memoriæ.

PER

M. ADALBERTUM JOACHIMUM FOLTANSKI,

Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; Regium ac Tylicianum Eloqnentiæ PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Zielopolscianum CANONICUM, ibidemq; Ordinarium Festorum SALVATORIS & B. V. MARIÆ Concionatorem.

in ultima Honoris Doctoralis Instantia

DEDUCTUS.

Anno quo

Diva Themis unicuiq; reddens quod suum est, de Cælo prospexit.

Anno Domini 1762 Die 23. Mensis Novembris.

CRACOVIÆ TYPIS COLLEGII MAJORIS.

TERMINUS JURIS
Legitimè
INCIDENS.

Quævis vitæ noſtræ dies
Dies Juridica eſt;
Et quousq; in hac vita ſumus,
hucusq; in proceſſu exiſtimus.
Ligati lege naturali naſcimur,
pro diſcretione uniuscujusq; annorum,
ipſa nobis jus dicit conſcientia.
Etſi quandoq; noſtri juris dicamur domini,
tamen nunquam exleges vivimus.
Eſt competens unicuiq; Forum,
quivis meriti vel demeriti Locus.
Nulla hìc illegibilis dies,
ubi ſemper actricem agit,
quæ in actione conſiſtit, Virtus.
Nullus Perſonarum delectus,
ubi pro Tribunali ipſa ſedet Juſtitia,
quæ unicuiq; quod ſuum eſt reddere jubet.
A Definitiva hoc in Areopago appellare ſententia
eſſet æqui honeſtiq; velle transgredi regulas.
Etſi ubiq; locorum diligentibus faveant jura,
hìc tamen præcipuè & maximè.
Enumera tantùm *cum Sicinio Dentato*
quadraginta quinq; vulnera,
Et centum octuaginta tres recipies *Torques.*
Deduc cum Scipione deletam à Te Africam,
Et præter triumphales Currus, Civicasq; Coronas,
à Virtute deſumptum *Africani tibi adjudicabitur Nomen.*

Et

Et ideo;

quicunq; ex Actoratu virtutis *legitimè inciderit Terminus*,
nunquam infirmari potest.

Etenim

juris & æqui integerrima custos
quæ de Cælo prospexit Justitia
etiam invitos ad mensam Jovis rapit *Ganymedes*,
etiam ægrè terras deserentes inter Astra locat *Hercules*,
modò in *Termino ad instantiam Virtutis incidente*,
his, à rectèfactorum pulchritudine,
illis, à magnitudine *vix non supra vires humanas* gestorum,
sint faveantq; domi atque foris producta,
visa, salva, illæsaq; documenta.
Non est proinde res in disceptatione ambigua,
quòd Doctoralem Utriusq; Juris Cathedram,
eò ipsô jure optimo conscendis,
PERILLUSTRIS Neò DOCTOR,
quia ad illius, cujus jam in possessione es intromissionem
non Te aliqua levis sortis alea promovit,
non larga fortunæ munera extulerunt,
non aliorum calcata capita gradus struxere,
sed in incidiente ex Actoratu virtutis & eruditionis Termino,
ipsa distributiva Justitia
pacificè & cum solemni plausu introduxit.

Enimverò,

quorumvis rectè sentientium hoc fert sententia,
quòd si ex antecedentia meritorum
Doctoralem in Utroq; Jure recipis Lauream,
quæ dignum Tui exoptabat caput
recipis quovis Titulô debitam Tibi mercedem.

Proinde

non casu aliquo, fortuita sæpius adferente,
sed arcanô quodam consiliô factum esse censeo,
quòd hic in ultima Doctoralis Honoris Instantia,
ex Actoratu Virtutis & eruditionis Terminus
in hodiernam legitimè inciderit feriam.

Eſt Divo CLEMENTI Sacra dies hæc,
unde etiam dicendi *Juris Pontificii* feria eſt.
Silere hodie deberi Jura quis inficiabitur,
ubi ex ipſis *Clementinis* deducitur Juris Terminus.
Si ad mentem Hujus *Capitis*
Quod *Supremi in Cœlis Legislatoris & Judicis*
Caput in terris Viſibile eſt,
dabas reſponſa Jurisconſultiſſimus PROFESSOR,
ad diem *Juris Pontificii*,
jure merito Cathedram conſcendis DOCTOR.
Ut Tui Merita, geſta, factaq;
quæ non modò in oculis graviſſimorum Virorum,
ſed etiam in ore ſelectioris populi verſantur,
faſtis & annalibus immortalis memoriæ insererentur,
non unâ, unius Scriptoris opus eſſe pennâ,
etiam exinde quodammodo luculenter conſtat,
quòd Hic in PETRI Cathedra PONTIFEX Sanctiſſimus,
Septem *Urbis* illius, quæ Urbium *Urbs* eſt, Regiones,
ſeptem diviſerit NOTARIIS.
Et ideo
in hodierno legitimè incidente Juris Termino,
hoc ipſo videre mihi ſuccumbere videor,
quòd in hoc perauguſto Divæ Themidis Areopago,
ſine omni Monitorio comparens peremptoriè,
minimè paratus, rectefactorum Tuorum producam documenta,
Utriusq; Juris Neò DOCTOR.
Sed ſunt illa, non modò Urbi Regnoq; huic patetica,
aſt ſimul potiori in parte, Orbi Europæo nota.
Si in ipſis Juris Acceſſoriis
opus informatione à Patria?
eſt Septemtrionis *Ocellus*,
Bonarum Artium & Virtutis *Seminarium*,
Orthodoxæ Religionis *Nidus*,
Regum in Sarmatia coronandorum *Sedes*,
pervetuſta ad Vandali oſtia CRACI *Colonia*,
Hæc

Hæc verior Berecynthia
etiam in terris Cœli Indigetum Parens,
jam *in cunis* Te *Jove dignum* genuit.

Etenim;

quidquid de *Tyrinthio* adhuc in fasciis *Heroe,*
Vatum referunt commenta,
hoc veriùs de Te in teneris dicendum foret.
Immissos ille ab invisa Junone disrumpebat serpentes,
Tu Almæ Scientiarum hac in Urbe Matris,
benignum susceptus in sinum,
non unum latitantem sub herba disrumpebas serpentem,
qui studiosis sæpè sæpiùs mentibus,
est coluber in via,
cerastes in semita.

Aliàs;

otium illud, *quod animarum pestis est,*
& quod adolescentium animos & *inficere & infirmare facit,*
fugiendo semper gloriosè vicisti.

Nempe;

sedulam illis Artibus dabas operam,
quæ ad quævis maxima formata in Te indoles,
& non irrita Superiorum expectabant vota.
Ea singula vidit & probavit in TE
Ingeniorum Ocellus
Domus Jagelonicæ hoc in Regno Pupilla,
Regia hac in Universitate Academica Pallas,
hinc TE in *incidenti virtutis & eruditionis Termino*
post cognita primorum principiorum abdita,
post superata montis Parnassii frontiscopia,
post devictos ad Eloquentiæ postes, dracones,
post tranata Euripi Philosophici vada,
Cui in Arena Literaria Victori una non sufficiebat Corona,
binis in Philosophia & AA. LL. redimivit Laureis.

 Rece-

Recepisti feliciter primam Lauream, (a)
Sub felicissimis Auspiciis
Magnifici olim *& Reverendissimi Domini,*
M. JOANNIS LUKINI,
U. J. DOCTORIS & PROFESSORIS,
Collegii Juridici SENIORIS PATRIS,
Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis CANONICI,
Universitatis hujus RECTORIS vigilantissimi, &c:
Quæ Tibi contulerant eam,
quàm felices fuerunt manus illæ,
Illustris olim *Clarissimi & Admodum Reverendi Domini,*
M. IGNATII HERKA,
Philosophiæ Doctoris, ejusdemq; Vladislaviani Cursus Professoris,
COLLEGÆ MINORIS,
quæ, quidquid suô attingebant calamô,
extra fabulam illud fiebat aurum,
cui adusq; vix non totus est in Lydium lapidem Orbis.
Vir hic, Cui parem expectant sæcula,
propè Divinô ingeniô,
facile Philosophorum Princeps,
Oratorum & Poëtarum Phænix,
si qua Cæli intueretur parte,
hoc etiam ad suæ portionem in terris gloriæ
non modicum accedere videret,
quòd TE in Facultate hac,
quæ omnium Facultatum Seminarium est,
Laureatum fecerit Virum.
Protegente ac benedicente Dextera
Eminentissimi olim *Celsissimi ac Reverendissimi Domini,*
JOANNIS ALEXANDRI
in Lipe
L I P S K I
Sacrosanctæ R. E. *Presbyteri* CARDINALIS,
EPI-

(a) *Annus Promotionis Perillustris Neo-Doctoris 1739. Ex Libris Prom.*

EPISCOPI CRACOVIENSIS,
Universitatis hujus CANCELLARII faventissimi,
Philosophiæ & AA. LL. factus DOCTOR,
sicut bene & feliciter ascendisti Cathedram,
ita ex illa nisi cum solenni plausu descendisti.
Non sunt hæc verborum lenocinia,
quæ candore Academico conspicuus Vir refugit,
PERILLUSTRIS Neò-DOCTOR.
Præter ordinarios & extraordinarios Actus,
qui sicut in Universitate nostra,
& unaquaq; Facultate publici sunt,
ita intimantur publicè
& quorum testes Libri Decanales sunt, (b)
quamcunq; PHILOSOPHUS suscepisti Spartam,
si cui non eripuisti palmam,
tunc nemini porrexisti herbam.
In hujus rei documentum,
statuendi fuissent tot omni exceptione majores Viri,
quot quot & his audierunt auribûs, & hisce viderunt oculis,
quanta vi ingenii, Tibiq; innata dexteritate,
& quanto cum animi bene instructi robore,
ex universa Thomisticò-Aristotelica Philosophia,
nuper extraditas publicè defendebas Theses.
Sed sufficiet grave judicium & testimonium,
Qui est & Ingeniorum Arbiter prudentissimus,
& Virorum Ponderator sapientissimus,
laboriosissimus olim Philosophiæ PROFESSSOR,
nunc Sacræ Theologiæ emeritissimus DOCTOR,
ad præsens Universitatis Nostræ
RECTOR MAGNIFICUS,
M. CASIMIRUS STĘPLOWSKI,
Rerum Academicarum *Stator* Maximus,
Almæ hujus Matris Filiorum *Pater* amantissimus,
Cui ut nihil dulcius quàm laudanda agere,
sic nihil molestius quàm laudari.

 Huic

(b) *Actus pro Toga & alias ex Turno in Philosophica Facultate Disputationes absolvit. Ex Metricá laborum Facultatis Philosophicæ.*

Huic Divino Platoni,
Tu unus in publico ſuffeciſti Ariſtoteles;
Sub Cujus Præſidentia, & quo Magiſtro
primas inter Philoſophos obtinuiſti partes.
Si nullas turbulenti maris expaveſcebant procellas,
qui olim Cæſaris vehebant fortunam.
Potuit ne hæc in Ariſtotelico Euripo naumachia,
latrantes Scyllas, voracesq; vereri Charybdes,
quæ ſub feliciſſimis auſpiciis nuper
affinis *Imperatorum Thronis,*
Regum cognati *Majeſtatibus,*
Illuſtriſſimi PONINSCIORUM Nominis,
feliciter in æquore Philoſophico fuit abſoluta.
Jam Te tunc loquebantur minores
majores verò ſtupebant curæ,
Utriusq; Juris Neò-DOCTOR.
Nactus fuiſti publicum Tuæ eruditæ Virtutis Theatrum,
Meditullium Orbis Europæi
MAJOREM POLONIAM,
ſitu loci amæniſſimam,
Viris in Toga & Sago percelebrem Provinciam,
coram cujus ſemper Maximis Proceribus,
ita Academicum portâſti Nomen,
ut hucusq; ejus *laudes manerent.*
Propinabas dulcem Hypocrenen (c)
Academicis ad *fluenta Vartæ* Muſis,
& quæcunq; ad *Lubranſcianam Pinum* dabas reſponſa Vates,
illa pro Delphicis, licet extra Delphos, habebantur oraculis.
Si olim ſeptem Civitates certabant pro HOMERO,
quarum unaquæq; ſuum dicebat Civem.
Pro Te *Minor* & *Major* certabit *Polonia,*
dum in utraq; earum *Metropoli,*
non una Tui legitur, & revolvitur *Ilias.*
Sunt pleriq; qui ligatis aſſveti pedibus,
ſoluti verborum vinculis, vix liberè incedere poſſunt.
Tu

(c) *Poëſim in Academia Poſnanienſi tribus annis docuit.*

Tu æquè Orator, & Pòëta,
in Cujus *extra Pyrrhi annulum* erudita mente,
non modò *Musæ* posuere Parnassum,
sed simul *Romanæ gloria linguæ*
suam extra *Latium* explicat Majestatem.
Si ad numerum Heroum erant canenda Gesta,
adfuisti *Mantuanus Olor*,
si liberiùs extollendi non unius Augusti victoriæ,
nunquam inter Togatos Proceres defuisti *Tullius*.
Quotquot sunt ubiq; locorum Typîs impressa,
luce publica digna Tui Opera,
tot habentur Tuæ eruditionis non obscura documenta.
Ingredientem nuper Capitanealis in Majorica Honoris Capitolium
Illustrissimum olim *ac Excellentissimum Dominum*,
VLADISLAUM *à Szołdry* SZOŁDRSKI
Majoris Poloniæ GENERALEM,
non modò *Academiæ Lubransciana* Nomine
facundissimo plus quàm ad gloriam salutâsti ore,
sed simul aurô cedrôq; notanda Ejus gesta,
eruditâ pennâ, immortalis memoriæ inserendo Actis,
Panegyrico *Academiarum more*, excepisti cultu. (d)
Auget Tuæ eruditionis lucem
ŁUKOMSCIANA in *Accrescenti* Luna,
quam post *qninquaginta annorum* revolutionem,
in BERNARDI, super vallibus *Landæ*, fontibus,
ad *Solem Justitiæ* accedentem,
perspicacissimæ mentis astrolabiô demonstrâsti, (e)
Habuit plures *Mecænates*,
semper Virîs eruditîs locupletissima
sed censibûs & proventibûs inops
illa perantiqua Colonia,
cùm Te habuit *Maronem*.
Mons eras *visionis*, super *Carmelo Posnaniensi*,
an veriùs primæ magnitudinis Sidus,

C dum

(d) *Posnaniæ Typis impressas edidit Panegyres* 1mam *pro solenni ingressu ad Arcem Posnanien: Illmi Szołdrski sub Titulo Jason. &c:*

(e) 2dam *pro secundis Primitiis Illmi & Rndissimi Nicolai Łukomski Abbatis Landensis sub Titulo: Accrescens &c;*

dum expoſitas publicè oppugnando Theſes; (f)
diſpellendo ignorantiæ tenebras illuſtrabas obſcura,
& ſic per lucem Tuæ ſapientiæ in Auditorum animos influebas.
A Philadelphico DOMINICANORUM Ordine
in Thomiſtico-Ariſtotelicam provocatus arenam,
quotquot argumentorum vibrâſti tela, (g)
tot armis pro *Angelici Doctoris* ſtetiſti Schola,
non inermis tamen ex acie Victor rediiſti.
Te ſuum fatentur HIRONEM
quos tantùm præter *Avitis claros triumphis* NIEGOLEWSCIOS
CAPITANEIDAS Pobiednicenſes,
à Tui in omnibus perſpecta Directione,
contra capitales ignorantiæ & Patriæ hoſtes,
domi privatimq; peroptimè & glorioſiſſimè inſtructos,
habet magnos MAJOR POLONIA,
in Toga & Sago Conſos Achillesquè.
Hæc & plura alia Meritorum Tuorum documenta,
quòd fideliter *ex actoratu virtutis & eruditionis* fuere deſumpta
præter publicam ore populi famam,
quæ etiam in Jure aliquam probationem habere dicitur,
non defuere Tibi omni exceptione majores Teſtes,
de Eccleſia DEI & Patria meritiſſimi,
Magni illius *Majoricæ* Viri,
Quorum non poſtrema pars, imo prima frons eſt,
PRINCEPS *Celſiſſimus*, DUX in Klewan & Zukow
THEODORUS CZARTORYSKI Poſnanienſis,
Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini
THADÆUS *de Kierz* KIERSKI *Bolinenſis,*
JOSEPHUS Comes *de Werbno* olim *Niochenſis,*
quibusvis Infulis Tiarisq; digni EPISCOPI;
Quibus ut nota fuit Tui erudita virtus,
ſic quà privatim, quà publicè,
evidentiſſimis, *amoris & æſtimationis*, comprobata documentis.
Stetiſti tandem hac Regia D. JAGELONIS in Aula,
in incidente *ex Revocatoriis* Termino,
ſed quoniam *Terminus* hic,
necdum in ultima fuit Inſtantia,

debiti

(f) *Poſnaniæ diſputavit publicè imo apud PP. Carmelitas Belgas.*
(g) *2do apud PP. Dominicanos.*

debiti, & Tuis Meritis correſpondentis Honoris,
ideo virtus & eruditio Tua,
ad ſuperius curarum laborumq; appellavit *Forum.*
Sed agnoverunt, & probârunt.
Virorum & Ingeniorum in hac Univerſitate Arbitri,
quomodo in *Poſnanienſi Academia,*
in inſtruenda Tuæ Inſtitutioni commiſſa Juventute
omnes boni & laborioſiſſimi Profeſſoris explevisti partes,
dum Te *publica* hac Regni in *Schola,*
publici Profeſſoris exornârunt cohoneſtâruntq; Titulô. (h)
Sit & latè diffuſum, & nimis profundum
Romanis è collibus fluens Tullianæ Eloquentiæ æquor,
in quo die nocteq; ingeniorum remis navigantes Palinuri,
ſi illud quandoq; in nuda non contingat hærere arena,
vix non quotidie novam dicendi adinveniunt Coloniam.
Tu in hoc, ſalſi quidem ſudoris, ſed dulcis eloquii mari
peritiſſimus *Claſſium Novodvorſcianarum* Archinavarchus,
quæ in nobiliſſimis magnæ ſpei Aſcaniis,
non jam unius Cæſaris,
quia Poloniarum Regni vehunt fortunam,
ita has plus quam Argolicas dirigebas Naves,
ut illas nec fluctus indies novi,
in periculoſiſſimos retulerint vortices,
nec conſurgentes ab adverſo Aquilone tempeſtates,
à ter quaterq; beato exoptatæ ſpei promuntorio
retardare potuerint,

Idcirco

non unam navalem brevi meruiſti Coronam.
Dicitur Cicero omnem Græcæ facundiæ laudem,
tranſtuliſſe in Latinos.
Tu alter Cracovienſi in Latio Tullius,
omnem Romanæ Eloquentiæ majeſtatem
in Poloniæ transferebas Oras,
cùm in Facultate Oratoria Auditores,
curabas efficere Ciceronianos Oratores.

(h) *Redux Poſnaniâ unô annô in Claſſibus Vladislaviano-Novodvorſcianis fuit Scholæ Rhetorices Profeſſor.*

Ipſis etiam quos nimis attollit Græcia Oratoribus,
eripuiſſe, non ceſſiſſe viſus es palmam.
Eſt Tibi ea quæ *Theophraſto* Styli gravitas.
idem qui *Iſocrati* dulcis eloquii torrens,
in excitandis animorum motibus
es alter *Demoſthenes*,
in conciliandis audientium mentibus
vel *Neſtor* efficax, vel gravis *Homerus*.
Te in omni Cauſarum & dicendi Genere,
politum verſatum, atq; excellentem.
etiam ii, qui familiares Tuiq; audiunt diſcurſus,
non ſinunt ubiq; locorum fateri.
Nullus Te preſſior ac politior,
cùm tantùm etiam hodie opus fuerit,
nullus æquè fluidior & facundior!
Felicem ſui Academiam dicebat Plato,
quòd ex illa unus Philoſophorum Princeps prodierit.
Sed feliciores longè Tui Athenæ
ex quibus non unus prope Oratorum prodiit Princeps.
Jam pleriq; Togam induti,
contra conjuratos in perniciem Patriæ Catilinas,
perorant in Senatu Cicerones.
Jam per quævis in Eccleſia & Patria Subſellia
cujusvis authoritatis gerunt Magiſtratus,
Legum Patriarum, & Fidei Orthodoxæ Aſſertores.
Quæ nuper in *Profeſſoralibus Tuis Manibus*
nobiliſſimum ſuæ Familiæ repoſuit Florem,
Illuſtrem olim ac Magnificum Dominum,
ADAMUM in Niſzczyce NISZCZYCKI
CASTELLANIDAM Raciążen: CAPITANEUM Bielſcenſem
Illuſtriſſima SZEMBECIORUM Domus,
illa hodie in hoc Juris Termino
Tuæ Doctorali Utroq; in Jure Laureæ
Gentilitias ſuas innectit Roſas.
Romanorum renovando morem
Te inexhauſtum omnis eruditionis Fontem,
ex quo quà in publico, quà intra domeſticos lares,
impi-

limpidiſſimos omnis eruditionis hauriebant rivos,
BIELSCII, WISEMBERGII,
LODZINSCII, TARNOWSCII, &c:
Magna Illuſtriſſimarum Proſapiarum Nomina,
herbis ſua æviternæ gratitudinis non ſinunt redimire,
Inſuper;
Illuſtriſſimi Divi Cælorum Indigetes,
Principes MICHAELES GEDROICII,
Doctores Angelici DD. AQUINATES,
S.R.E. Cardinales BONAVENTURÆ,
in hodierno Juris Termino,
Tui emeriti Honoris videntur promovere Cauſam;
pro Quorum immortalibus in Cæleſti gloria Laudibus,
facundiſſimum ex Exedris egiſti ORATOREM.
Sed ſunt æviternîs Literarum mandata munimentîs
quæ vel Tuo protuliſti ab ore,
vel aliis proferenda mandâſti.
Et proinde;
in incidenti Juris hodierno Termino.
Virtus & eruditio Tua ſatìs probationis
videtur habere,
dum ex documentis ingenii Tui,
illa publicam in lucem exponit teſtimonia,
quæ viſa, lecta, typisq; mandata ſunt.
His tantum publicæ æſtimationis aſſecutus es,
quantum alii ſibi grandibûs voluminbûs comparârunt.
Viſendum ſuper terram reliquiſti
quoddam grande ſpectaculum,
Tui nuper ingenii delineatum penicillô
Illuſtris verò ac Magnifici Domini
ADAMI in Niſzczyce NISZCZYCKI
publica in Digniſſimorum Hoſpitum Corona
demonſtratum.
& ſub Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo NOMINE
D ALE-

ALEXANDRI Comitis in Słupow SZEMBEK,
PALATINI Siradienſis
Luci publicæ expoſitum. (i)
Et quamvis humanis non egeant laudibûs,
Cœleſti circumfuſi gloria Divi Cœlites,
tamen Quos ſuſcepiſti laudandos,
Illis æternum decus honoremq; addidiſti.
Nunquam meliùs patere potuit,
Proportio omnimoda
virtutum ad ſapientiam, & ſapientiæ ad virtutem,
in D. Univerſitatis hujus PATRIARCHA.
B. JOANNE CANTIO
quàm cùm illam inter Illuſtriſſimos Hoſpites
& in præſentia
PRINCIPIS CELSISSIMI
Illuſtriſſimi, Excellentiſſimi & Reverendiſſimi Domini,
ADAMI KUMOROWSKI
ARCHIEPISCOPI Gneſnenſis, PRIMATIS Regni,
Illuſtris ac Magnificus Dominus
JOSEPHUS de Tarnow TARNOWSKI,
adpræſens CANONICUS Łovicienſis,
Celſiſſimo ejuſdem PRINCIPIS dicatam Nomini, (k)
ſatis diſerto ex Cathedra demonſtravit eloquiô.
Homeri Iliadem;
quæ magnorum Heroum, heroica continebat geſta,
die noctéq; revolvebat Victor Orbis *Alexander.*
Bene limata Tui ingenii volumina,
ſententiarum floribûs refertiſſima,
quæ omni exceptione majorum
in hac Univerſitate Procerum,
immortali memoriæ traditas Laudes & Merita referunt,
eruditis omnium volvuntur & revolvuntur manibûs.
Fatentur Te quivis prudentiores, ingeniô & calamô
non modò ter, ſed quater felicem,

qui

(i) *Pro Immaculata MARIÆ Conceptione ſub Titulo: Punctum Orbe majus Typis impreſſam dedit Orationem.* (k) *Iterum pro Feſto B. Joannis Cantii ſub Titulo: Proportio omnimoda virtutum ad ſapientiam, ſapientiæ ad virtutem,*

Orbis Literarii Cardines
SZYMAKOVIOS, FILIPOVICIOS,
PALASZOVIOS,
& adpræſens Univerſitatis, Majorisq; Collegii Seniorem Patrem
Perilluſtrem & Reverendiſſimum Dominum
M. ADALBERTUM GRZYMAŁA,
Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis CANONICUM,
annîs, meritîs, & laboribûs grandævum,
ſeræ etiam ob immortalia geſta poſteritati venerandum,
in *Quadrato* laborum, meritorum & ſcientiæ,
dum Sacræ Theologiæ ritu ſolenni renuntiarentur DOCTORES
benè aptato calamô delineâſti perfectiſſimè. (l)
Dies diei indicabit ſcientiam.
Laborum, Laudum, & Meritorum,
Magnifici olim Univerſitatis hujus RECTORIS
M. CASIMIRI JARMUNDOWICZ,
Quem non modò publica volans, per Orbem fama divulgat,
ſed ſimul immortalia rectefactorum loqvuntur documenta,
quam circa obtinendam Ejus
Utroq; in Jure Doctoralem Lauream
ex Promulgatione legis 12. Tabularum,
ſine omni in Jure diſceptatione evidentiſſimè leget, (m)
Viſus eſt quodammodo motus eſſe ſuis in cardinibus,
Orbis Literarius,
dum illa Univerſitatis hujus ceciderint Columina.
Utriusq; Juris DOCTORES emeritiſſimi,
MICINII, & KUTLINOVII.
ſed feciſti, ut altiùs ſuper rudera fatalis ſtetiſſent ſortis,
dum illis ingenioſiſſimus *Policletus*,
viſendos hucusq; arte Oratoria erexiſti *Coloſſos*
quibus auro cedroq; notanda inſculperentur Facta. (n)
Tui altitudine Ingenii,
etiam *Theologici Maris* attigiſti profundum.
Expoſitas *de Prædeſtinatione* Theſes,

D2 ita in

(l) *Scripſit Panegyrim pro Doctoratu Sacræ Theologiæ Perilluſtrium Szymakowſki, Filipowicz, Pałaſsowſki & Grzymała.* (m) *Item pro Doctoratu Utroq; in Jure Perilluſtris Jarmundowicz.* (n) *Item pro Funeribus Perilluſtrium Kutlinowſki & Micinſki.*

ita in D. Jagelonis Lycæo defendebas publicè, (o)
ut publicos *Theologus* mereceris plausus.
In Academico-Diœcesano Cracoviensi Seminario,
annîs tribûs VICE PRÆFECTUS (p)
eos ad Vineam Christi mittebas Operarios,
quos Ipse, *Qui Filius Agricolæ* dicitur, invitabat.
Æqui honestiq; semper amantissimus,
ad erudiendum in Schola Cælestis Magistri alios,
salutaria dabas præcepta.
Ipse à via mandatorum Domini non devius.
Percelebrem MATHEMATICORUM Scholam
ASTROLOGUS & GEOMETRA Juratus,
Tuîs Lucubrationibûs
quantum ubiq; locorum exornaveris,
vel ipsa testatur Mathematica Quæstio,
quam pro DOMO respondens Minore
Luci exposuisti publicæ (q)
Si hæc explicat luculentiùs,
illam percelebrem apud *Euclidem* Propositionem,
qua inventâ, Samius Philosophus ille Pythagoras,
fertur mille Diis immolâsse boves;
Quam, qualemvè Tibi debeant votorum victimam?
quorum Megarensis Philosophus *Euclides*,
Parens est & Magister.
Non modò adiisti & penetrâsti feliciter,
sed simul capacissimæ impressisti menti,
quidquid de DEO inaccessum *Aquinas*,
de entis universitate *Aristoteles*, sublime,
de Cælorum circulatione *Ptolomæus* arcanum,
de Orbis terraquei situ profundum *Archimedes*,
vel dixit, vel immortalis memoriæ tradidit munimentis.
Ad illud vocatus *Collegium*,
ex quo Delphici non petendo oracula Phæbi,
habet quà latè patet Sarmaticus Orbis,

non

(o) *Defendebat Conclusiones Theologicas de Prædestinatione pro Doctoratu Perillustris olim Goszkowski.* (p) *In Seminario Academico-Diœcesano Cracov: Erectionis, Fundationis, & Dotationis Załuscianæ, fuit tribûs annîs Vice-Præfectus.* (q) *Respondendo pro Collegio Minore extradidit Quæst: in tota Mathesi famosissimam circa Propos: 47. Lib: 1. Euclidis.*

non dubia Utroq; in Jure ſumit Reſponſa,
in primo ſtatim demonſtrâſti Ingreſſu,
quòd Tecum Areopagum feras.

Etenim;

quidquid ad *Iuriſconſultorum Privilegia,*
vel deſiderari, vel requiri potuit,
& quidquid ad Divæ Themidis,
vel integritatem, vel pompam fieri debuit,
in expoſitis publicè,
trinîs Juridicis Quæſtionibus, (r)
probaſti & eviciſti ex Cathedra Profeſſor.
Maturô, totius Univerſitatis judiciô,
JURISCONSULTORUM annumeratus Cætui,
in expoſita de Caſibus fortuitis Quæſtione, [s]
id jam voluiſti deducere,
quòd legitimè incidente,
hodierno Iuris ex actoratu Tua eruditionis Termino,
nihil ſibi debeant caſus & fortuna.
Te nunquam ſatis deprædicare poterunt,
Sacræ, in quibus Sacrum egiſti Oratorem Exedræ,
ſed quoniam hæc & patetica ſunt documenta,
& omnium auribus oculisq; ſubjecta,
illa recenſere quodammodo ſuperfluum eſſet.
Seqvuntur Te quocunq; vocas hominum ſenſus,
qui cùm dicere incipis,
ita pulſas audientium animos,
ut commotos, expugnatosq;
ducas victor in triumphum.
Sive legentium, ſive audientium corda,
quæ dictîs, ſcriptîsq; profers,
ad rerum Cæleſtium excitabas deſiderium.
Quomodo in omnes animorum motus,
ducebas, ducisq; audientium animos,
non modò celeberrimæ hac in *Metropoli* Exedræ

E publi-

(r) *Defendebat Concluſiones Juridicas in Doctoratu Perilluſtrium Mamczynſki, Pałaſzowſki, & Jarmundowicz, de Privilegiis Jure-Conſultorum &c.* (s) *Reſpondendo pro Collegio Juridico extradidit Quæſt. de Caſibus fortuitis.*

publicum reponerent testimonium
sed simul testari non desinet,
Ecclesia Cathedralis Cracoviensis,
ubi è Cælesti rore conceptas loqueris gemmas,
quæ trinis *Vavelli* dignæ sunt inseri Coronis
Inflammatus zelô Divini Honoris
super sito ad *Vandali ostia* Monte
alter ELIAS ANDREAS es.
Cui illa non desunt fulmina,
ad quæ
non modo Oratoria accendantur lumina,
sed etiam Virorum Ingeniorumq; nascantur Uniones.

Alias;

ad virtutis honestatisq; amorem
hos svavi allicis eloquiô,
illos à recta Mandatorum DEI deviantes semita
ad æqui honestiq; regulam
severô reducis superciliô;
bene gnarus
quibus stimulô, & calcari opus,
Plus quàm Hybleâ Tui facundiâ,
mellifluus celebratus DOCTOR,
non ne testatur,
Quod Atticæ, in ore Tuo mellificârunt apes.

Et quam D. BERNARDO laudem,
non ex uno Fonte Sacer eruisti Orator, (t)
quòd Te manebunt ipsæ,
sunt Typis expressa documenta.

Etsi ipsam Urbium appellaret ad Urbem,
Tua erudita virtus,
ex ipsa Romana Curia sui haberet documenta.

Eras amori Romæ, & Tibi erat amor Roma. (u)
ni hæc & Caput Orbis,
& sedes Sapientiæ fuisset,

eam

(t) *Pro Festo S. Bernardi habuit Concionem sub Titulo: Doskonałość troista &c: Andreovia Annô 1762. quam Typîs tradidit.* (u) *Ex Fundatione Słovikoviana fuit Romæ annîs tribûs.*

eam ſpoliatam eruditione dixiſſem,
in tot evectis, conductisq; à Te Voluminibus.
Rediiſti iterum ad illam,
non aliquam tui in parte rationem daturus,
ſed Univerſitatis hujus D. PATRIARCHÆ,
B. JOANNIS CANTII,
in ſui Proceſſu Cauſam promoturus. (w)
Et qua pietate hanc ſuſcepiſti ſpartam,
eodem zelô repetitis vicibûs
ad Sedem Regum Varſaviam deputatus
Prærogativas, Jura, & Privilegia
Univerſitatis hujus propugnâſti. (x)
Debet Tibi plurimum hæc Regni Schola,
pro cujus integritate & Legibus,
coram Purpuratis Proceribus ſtetiſti fortius,
quàm olim *Hector pro Troja,*
& Achilles pro Græciâ
Illuſtriſſimi Conſiſtorii Cracovienſis
ASSESSOR,
Approbandorum, & Ordinandorum
CENSOR,
pro Eccleſiæ, & totius hujus Diœceſeos emolumento,
etiam virium tuarum non parcis impenſis.
Hæc Tui inæſtimabilia Talenta,
plurimum appretiat ſibi,
Ingeniorum & Virorum Lydius Lapis,
Literarum ac Literatorum
Protector Maximus,
in Eccleſia DEI meritiſſimus
Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus
FRANCISCUS de Potkana POTKANSKI,
EPISCOPUS PATARENSIS,
OFFICIALIS Generalis Cracovienſis,

 Cui

(w) *Miſſus fuit Romam Portitor Proceſſus B. Joannis Cantii.* (x) *Quater fuit Varſaviæ in Univerſitatis negotiis.*

Cui placuisse, est Tui laus non postrema,
Nec minoris apud se æstimant pretii
Te Virorum Gemmam,
Infulata, & Infulanda
hujus Cracoviensis Cathedræ CAPITA,
à Quibus gravissimum est Tibi judicium.
Sed quid magis probare potest,
Tui quovis in Magistratu sapientiam,
cultusq; Divini qui in Sanctis Ejus propagari solet,
zelum ardentissimum
quàm Venerabilis Servi DEI,
VINCENTII de Rosis *KADŁUBEK,*
primó EPISCOPI CRACOVIENSIS,
dein Sacerrimi Cisterciensium Ordinis PROFESSI,
Beatificationis Causa
prudentissimo Tui subjecta judicio. (y)
In hac SUP-PROMOTOR Fidei zelosissimus,
quantum laboras, & desudas
vel ipse Andreoviensis Cisterciensis Conventus,
fidele perhiberet testimonium.
Plura magìs debito ordine fuissent dicenda,
ex Tuæ eruditionis & virtutis Actoratu,
si in parata fuissent copia.
Sed jam ipsa distributiva sententiante Justitia,
recipis condignum Meritis Tuis præmium.
Cedit Tibi Doctoralis Utroq; in Jure Laurea
pro laborum impensis,
Redditur obsigillatus annulô Liber,
qui incorporatis Universitati huic,
Liber Beneficiorum est.
Et sicut Doctoralis Utroq; in Jure Honor,
est Tibi *ad quem,*
ita omnis Prærogativa sit *à quo*
TERMINUS.

(y) *In Causa Beatificationis Venerabil: Servi DEI Vincentii de Rosis Kadłubek est fidei Vice-Promotor.*